

rum etiam nullæ aliæ habere vim possunt, nisi ab ipso imperatore confirmatæ sint, quia ibi solus ipse habet summam potestatem quæ ad ferendas leges civiles necessaria est, ut in capite sequenti amplius explicabimus. Aliæ sunt provinciæ seu terræ, imperatori quidem subjectæ tanquam supremo principi, non tamen tanquam immediato domino: cujusmodi esse dicuntur multi ducatus, marchionatus, comitatus, vel quolibet alio nomine nuncupentur, Germaniæ et Italiæ. Nam sunt quidem proprii domini, et principes cum potestate quodammodo regia: nam leges proprias ferre possunt, monetam cudere, et interdum etiam bellum indicere: et nihilominus imperatorem recognoscunt ut supremum dominum, vel jure feudi, vel alio simili: quia vel ab imperatore sub illa conditione principatum acceperunt, vel consuetudine introducti sunt cum illa recognitione et subjectione. Et in his provinciis obligant etiam leges imperatorum, quamvis non solæ, quia etiam possunt habere proprias leges a suis propriis principibus latas, quia supponimus habere potestatem gubernativam suo modo supremam quoad immediatum regimen suarum terrarum, et ita quoad hoc æquiparantur regibus juxta dicenda capite sequenti. An vero isti principes subjecti imperio possint suis legibus derogare imperatoriis legibus, ex modo donationis, vel ex consuetudine colligendum est. Utroque enim modo potuerunt hujusmodi principatus concedi ab imperatoribus, vel consuetudine, et quasi præscriptione introduci, scilicet, vel cum obligatione parendi legibus imperatorum, ita ut proprias condere possint per modum additionis, non per modum derogationis, vel certe cum potestate derogandi illis, solumque cum obligatione illas servandi, quamdiu per proprias derogatæ non fuerint. Qualis autem fuerit concessionis modus, usu ipso maxime constare posse videtur.

3. *Quibus in terris obligant leges civiles juris communis.*—*Jus civile ex vi sua non obligat in Lusitania.*—Atque hinc obiter intelligitur in quibus provinciis seu terris Ecclesiæ obligent leges civiles quæ juris communis dicuntur, et in corpore juris civilis continentur, solumque imperatoriam auctoritatem habent. Dicendum est enim per se et ex vi talium legum tantum obligare in terris imperii, altero ex duobus modis declaratis. In regnis autem supremis, quæ proprios habent principes supremos non recognoscentes superiorem in temporalibus, per se et ex vi sua non obligant,

propter rationem factam: quia jurisdictio imperatorum ibi non obligat, et extra territorium jus dicenti impune non paretur. Et ita in paucis provinciis Christianorum servatur jus civile, ut late refert Gigas tract. de Crim. læsæ majest., libro 3, q. 23, n. 17 et sequentibus. Poterunt autem tales leges obligare quantum per leges talium regnorum acceptatæ fuerunt. Sic enim in terris subjectis Pontifici in temporalibus jus civile servatur, ubi canonicum defuerit, non vi sua, sed quia Pontifices ita voluerunt, capite 1 de Novi oper. nunc. Qui textus non de causis temporalibus, sed de Ecclesiasticis loquitur, et quoad hoc servari debet in tota Ecclesia, quia in his causis ubique subjecta est juri canonico, et ita etiam uti debet civili, quatenus ibi est canonizatum, et favet cap. *Si adiutorium*, dist. 10. In causis autem mere temporalibus solum habebit locum jus illud in terris temporalibus subjectis Ecclesiæ. Sic etiam in hoc regno Lusitaniæ, quod eisdem titulis supremum est, quibus regnum Hispaniæ, jus civile per se non obligat, eique per leges regni derogari potest, ac sæpe derogatur: ubi autem deest lex regni, servatur civile, non vi sua, sed ex ordinatione propria ejusdem regni, ut habetur libro 3 Ordin., tit. 64.

4. *Leges civiles absolute non sunt in usu in Gallia.*—At vero in regno Galliæ aliter servatur, quia non solum jus proprium præfertur civili, sed absolute leges civiles non sunt in usu, ut testatur Honor. 3, in cap. *Super specula*, de Privil. dicens: *In Francia et nonnullis provinciis laici romanorum imperatorum legibus non utuntur*, et tradit Bald. capite ultimo de Constit. circa finem. Idemque in Hispania expresse cautum est legibus regni, parte 1, tit. 1, l. 15, et clarius part. 3, tit. 4, l. 6. ibi, *Por las leys deste libro, e non por otras*, quibus locis id notat Gregor. Lop. et refert Palacium Rub. dicentem Hispanos olim constituisse, ut qui leges imperatorum allegaret capite plecteretur. Quod etiam Oldrad. consil. 69, Joann. Andr. et alii referunt, Gigas supra, et Vargas, et Salced. infra citandi. Item in l. 4 Tauri refertur antiqua lex regis Alphonsi, quæ ibi confirmatur et renovatur, in qua declaratur quo ordine et modo judicandum sit per proprias leges Hispaniæ, nullaque ratio habetur juris civilis in ratione legis ac juris. Additur vero ibidem permitti nihilominus in Hispania leges civiles in publicis Academicis doceri, et interpretari propter earum eruditionem et sapientiam, non quia per illas judicandum

sit. Et in l. 2 Tauri adduntur illa verba, per leges regni, et non per alias judicandum esse, et omnia hæc novissime confirmantur in nova recopilatione l. 1, ante librum 1, et lib. 2, l. 1 et 2. Ex quibus legibus manifestum est leges civiles in Hispania non habere vim legum quatenus leges positivæ sunt. Et ita si irritant contractum qui per leges Hispaniæ non est irritus, talis contractus in Hispania non erit irritus, vel si pro delicto imponunt pœnam quam non imponunt leges Hispaniæ, non tenebitur iudex ex rigore legis illam pœnam imponere, sed uti poterit prudenti arbitrio, idemque est in aliis dispositionibus, quæ pendent ex potestate jurisdictionis et voluntate principis. Quatenus vero illæ leges in multis continent et declarant ipsam naturalem legem, servandæ erunt in vi legis naturalis, non in vi legis humanæ, ut recte notavit Gregor. Lop. supra ex Panormit. in capite *Ecclesia sanctæ Mariæ*, de Constit. Item quamvis non continent naturalem obligationem, nec etiam per se obligent, deservire possunt per modum exemplarium ad imitandam prudentiam et æquitatem, quam frequentius continent, sive in taxandis pœnis, sive in interpretandis testamentis, in conjecturanda mente defuncti, et similibus.

5. *An servandum unquam necessario jus civile in Hispania.*—Addunt vero aliqui consuetudine receptum esse in Hispania, ut jus civile servetur, ubi leges regni desunt. Ita tenet Burgos de Paz. in l. 4 Tauri, n. 520, ubi etiam Anton. Gom. n. 10 sentit leges civiles habere vim legis in Hispania, deficiente lege regni; non tamen affert jus in quo id fundetur, nec consuetudinis mentionem facit, sed tantum ait esse communem opinionem. Re tamen vera non habet sufficiens fundamentum; nam constat ex dictis illas leges ex vi suæ originis non habere vim in Hispania. Constat etiam non accepisse illam ex vi alicujus legis Hispaniæ, imo per illas exclusas esse, ut allegatum est. De consuetudine autem sufficiente quæ consentientibus regibus vel scientibus introducta sit non constat, præsertim cum novissime per Philippum II renovatæ in hac parte sint superiores leges. Nec sufficit quod iudices in similibus casibus frequentius judicent per leges civiles; nam credendum est id facere imitatione, non obligatione. Non credo tamen esse consuetudinem puniendi aliquem propter transgressionem talium legum, si actus non sit vel contra leges naturales, vel contra leges regni. Et eadem ratione non debent nec pos-

sunt iudices irritare contractum aliquem, eo quod sit contra jus civile, si non sit irritus per leges regni, vel jure naturæ, aut mereatur irritari. Et ita sensit Gregorius Lopez supra, et Francisc. Varg. tract. de Potestate pontificia, axioma 7, n. 10, Bernard. Diaz in Pract. q. 144 circa finem, ubi Salzed. litt. C alios allegat.

6. *Dubium incidens.*—Ex quibus tandem potest definiri dubium quod in fine capitis præcedentis huc remisimus, an in regnis non subjectis temporaliter Papæ nec imperio, sequendum sit jus pontificium in materia mere civili, seu temporali; vel imperiale in casibus qui per proprium jus regni decidi non possunt. Et per utrumque illud jus diverso modo deciduntur. Tunc enim jus pontificium sequendum esse tenuit Joan. Lupus in repetit. cap. *Per vestras*, de Donat. inter virum et uxorem, in rubrica seu introductione, quem refert et sequitur Gregorius Lop. in l. 8, tit. 14, partit. 5, n. 2, et Salzed. supra, referens plures alios hispanos scriptores. Verumtamen hoc intelligendum videtur per modum consilii et æquitatis; nam ratio obligationis aut necessitatis nulla potest assignari: quia, sicut in eo casu absolute non obligant in hoc regno leges imperiales, ita neque etiam pontificiæ mere temporales, ut cap. superiori dictum est, et ex hic dictis cum proportionem patet; ergo etiamsi utrumque jus, pontificium et imperiale, concurrant in eo casu, poterit utrumque omitti et tertium arbitrium sumi; quia neutrum obligat: ergo etiam erit liberum iudici eligere quod voluerit, si alterum illorum imitari velit. Quin potius in legibus hujus regni Lusitaniæ, cautum est ut in tali casu iudicium feratur juxta imperiales leges, licet pontificiæ contrarium disponant, lib. 3 Ordin., tit. 64. Imo additur ibi § 3, quod si aliquo casu jus regni et imperiale nihil disponit, et per jus canonicum disponitur uno modo, per Glossas autem et interpretes legum civilium alio modo; non sunt canonica jura præferenda, sed rex ipse consulendus. Igitur in his eventibus vel id servandum est, quod jura regni disponunt; vel, si nihil disponitur, liberum erit eligere quod juxta occurrentes circumstantias rationi et æquitati magis consentaneum judicabitur.

CAPUT IX.

APUD QUOS SIT POTESTAS CONDENDI LEGES CIVILES INTER FIDELES.

1. Hæc quæstio expedienda fere est ex prin-

cipiis positus in cap. 2 et 3, quia hæc potestas, prout est intra Ecclesiam, eisdem modis et titulis obtinetur quibus ex natura rei haberi potest: nihil enim in hoc legimus fuisse a Christo Domino directe et per se immutatum, licet indirecte et per quamdam consecutionem aliquid speciale interdum in Ecclesia fieri possit, ut ex dictis in duobus capitibus proxime præcedentibus facile intelligi potest.

2. *Prima conclusio.* — *Potestatem condendi leges civiles esse in omnibus regibus supremis cum partitione accommoda.*—Primo ergo constat ex dictis, hanc potestatem esse in omnibus regibus supremis cum partitione accommoda, id est, in unoquoque pro suo regno. Ita D. Thomas 1. 2, q. 90, art. 3; 2. 2, q. 51, art. 2; Canonistæ in cap. *Ecclesia*, de Constitut., Bartol. et alii in l. ult. C. de Legibus; Bald. in cap. 1 de Constit., Navar. in cap. *Novit*, not. 2, n. 110. Unde D. Thomas 2. 2, q. 50, dixit principalem actum regis esse leges condere, et ideo (ut advertit in discursu illius articuli) eandem prudentiam quam Aristoteles 6 Ethicorum, cap. 8, legislativam appellavit, vocasse propriam prudentiam principis, id est, regnativam, lib. 3 Polit., c. Præterea hoc sensit Augustinus, tract. 6 in Joan. cum dixit: *Divinum jus in Scriptura habemus, humanum jus in legibus regum.* Et infra: Quia ipsa jura humana per imperatores et reges seculi Deus distribuit generi humano; et refertur in cap. 1, dist. 8. Denique colligitur hæc veritas etiam ex modo loquendi Scripturæ, in qua sæpe cum regia dignitate potestas legislativa conjungitur, Proverb. 8. et Isai. 33, et sumitur ex 1 Petri 2: sive *regi tanquam præcellenti*. Ratio a priori est, quia potestas regia et suprema translata est a tota communitate perfecta in personam regis, ita ut tota potestas regendi communitatem, quæ in ipsa erat, in regem transmissa fuerit; sed potestas legislativa per se primo et ex natura rei erat in communitate, ut supra ostensum est; ergo potestas regia legislativa est. Et confirmatur, quia in republica quæ monarchice regitur necessaria est hæc potestas; ergo maxime esse debet in supremo principe et capite, ut argumentatur Justinianus in d. l. ult., C. de Legib.

3. Unde fit hanc conclusionem non solum habere locum in illis principibus supremis qui reges nominantur, sed etiam in omnibus qui non recognoscunt superiorem quoad subordinationem temporalis jurisdictionis, sive duces, sive comites, aut quolibet alio nomine vocentur, quia hæc potestas in jurisdictione consis-

tit, et nulla major requiri potest quam suprema. De principibus autem imperatori subditis, jam diximus capite præcedenti, habere posse hanc potestatem, si jurisdictio in eo gradu perfectionis illis data sit, et consuetudine, aut alio sufficienti modo id constet. Idemque cum proportionem applicari potest ad principes (si qui sunt) habentes aliquo modo supremam potestatem in aliquibus rebus, ut sunt judicia ferre ac terminare sine ulla appellatione vel supplicatione ad superius tribunal temporale, monetam cudere, etc., etiamsi in aliis regem aliquem recognoscunt ut superiorem ac dominum, quia ab illo fortasse sub ea conditione principatum habuerunt. Nam hi etiam, juxta modum et conditionem potestatis acceptæ, vel poterunt leges ferre, vel in hoc pendere a superiori rege.

4. *Secunda conclusio.* — *Potestatem prædictam eo modo, sub quo translata est per communitatem esse in principe.*—Atque hinc sequitur secundo, etiam in principe supremo esse hanc potestatem eo modo et sub ea conditione sub qua data est et translata per communitatem: ratio est clara ex superius dictis: quia hæc est veluti conventio quædam inter communitatem et principem, et ideo potestas recepta non excedit modum donationis, vel conventionis. Quis autem ille modus fuerit, si scriptum non sit, ex consuetudine maxime colligendum est: nam ipsamet consuetudo solet esse sufficiens ad dandam jurisdictionem; ergo multo magis sufficiet ad modum illius declarandum. Et juxta hoc etiam definiendum est an requiratur consensus populi ad ferendas hujusmodi leges, quando, scilicet, populus per reges gubernatur. Nam per se loquendo, et jure communi potestas legislativa proprie est in solo supremo principe, ut constat ex juribus et rationibus adductis: juxta consuetudinem autem requiri poterit consensus populi saltem quoad acceptionem, de quo infra videbimus.

5. *Tertia conclusio.* — *Quid dicendum de principibus non supremis, et magistratibus.*—Tertio, ex his intelligi potest, quid dicendum sit de principibus non supremis et magistratibus, seu gubernatoribus, qui a regibus constituuntur. Quamvis enim ex jure civili colligi videatur omnes, qui sunt principales magistratus habentes regimen provinciarum, posse etiam condere leges civiles, quæ prætorie seu jus prætorium appellari solent, de quo extant plures tituli in jure civili, nihilominus de facto non possumus aliam regulam assignare, nisi concessionem vel permissionem principis

supremi. Tantam enim potestatem ad hunc actum habent inferiores, quantam eis concedit supremus princeps, quia in illo est independentem; in aliis vero cum dependentia ab ipso. Cum autem hæc potestas jurisdictio sit, sicut jurisdictio haberi potest vel ordinaria vel delegata, ita etiam hæc potestas: nam eadem est ratio; nihil enim obstat quominus hæc potestas delegabilis sit. Quando autem uno vel alio modo concedatur, ex institutione officii vel muneris juxta leges uniuscujusque regni, vel ex consuetudine, ut dixi, vel ex privilegio, aut speciali voluntate et concessionem principis accipiendum est. Unde constat in Hispania non posse duces, marchiones, comites et similes dynastas leges ferre, quia soli regi hæc potestas reservata est. Nam in l. 12, tit. 1, partit. 2, expresse dicitur principes regni subditos regi non posse leges ferre. Estque consentaneum legi naturali et juri gentium ut recte deducit divus Thomas q. 90, a. 3, et ibi cæteri theologi. Et usus etiam hujus regni id servat. De quo videri potest Azeb. in Leges Hispan., lib. 2, cap. 1; Greg. autem Lopez conatur aliter illam legem interpretari, vel limitare: sed non est necessaria alia limitatio præter eam quam ponit lex ipsa, scilicet nisi eis fuerit per leges specialiter concessum, ut dicemus etiam in ultimo dubio hujus capituli: nam quoad hoc eadem est ratio de his potestatibus, quæ de civitatibus regni, de quibus etiam dicemus.

6. *Quid de communitatibus quæ per seipsas gubernantur dicendum.*—Quarto concluditur ex dictis potestatem hanc legislativam etiam esse in illis communitatibus perfectis, quæ per seipsas et non per reges gubernantur, sive aristocratice, sive populariter regantur; illud intelligendo cum proportionem et partitionem accommoda. Ita sumitur ex l. *Omnes populi*, ff. de Justit. et jur., et ibi docent omnes: et ratio est etiam manifesta, quia hæc communitates in se retinent supremam potestatem gubernativam, cum non transtulerint illam in aliquem principem: ergo per illam possunt sibi leges condere. Unde fit idem dicendum esse cum proportionem de illis rebus publicis quæ supremam in se potestatem retinent, ut Veneta, Genuensis, et similes: quæ, licet sibi unum ducem vel principem eligant, non tamen in eum transferunt omnem potestatem: ideo in illis regimen est mixtum et suprema potestas neque est in principe solo, neque in sola communitate, ut ab illo distinguitur, sed in toto corpore cum capite. Atque eodem modo in

toto ipso residet potestas leges ferendi, ita ut nec communitas sine principe, nec princeps sine communitate illas ferre valeat. Posset tamen respublica eligere principem cum hujusmodi potestate, et tunc quoad actum ferendi legem habebit regimen monarchicum, et ita princeps solus tunc posset leges validas condere.

7. Duo vero hic supersunt dubia explicanda, unum circa singulares personas, aliud circa communitates. Primum ergo est an hæc potestas legislativa civilis possit esse in femina, seu regina hærede regni. Quando enim solum habet illud nomen et dignitatem propter matrimonium cum rege, certum est non habere ex vi illius potestatem ferendi leges, quia illa non est dignitas jurisdictionis, sed tantum honoris. Unde non solum non habet potestatem legislativam, verum etiam nec aliquam propriam gubernationem, nisi ei specialiter concedatur. Difficultas ergo manet quando mulier est hæres, et per se ac ratione propriæ successionis regina effecta est. Videri enim potest nihilominus actum ferendi legem excedere facultatem et capacitatem feminei sexus. Dicit enim Paul. 1 Timoth. 2: *Docere mulieri non permitto, nec dominari viro; sed sub illius esse potestate*, ut additur 1 Corinth. 14; ergo multo minus potest leges ferre, et hunc actum, qui supremi domini est, in totam virorum communitatem exercere. Et confirmatur: nam in l. *Feminae*, ff. de Regul. jur. dicitur feminas ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotas esse, et ideo nec judices esse posse nec magistratus gerere: multo ergo minus possunt imperare, ut infert Augustinus libro Quæstionum novi et veteris Testamenti, q. 45, et refertur in cap. *Mulierem*, 33, q. 5.

8. *Reginam regni dominam posse leges condere.*—Nihilominus certum est reginam domini regni posse leges condere perinde ac regem. In duplici autem statu potest hæc regina considerari, primo, in statu libero a matrimonii vinculo, vel quia nondum nupsit licet regnum possideat et gubernet, vel quia vidua est. Secundo, potest considerari in statu matrimonii. De priori statu est res manifesta et extra controversiam: quia supponimus esse vere dominam regni; ergo habet in se potestatem regiam, quæ legislativa est, et tunc in usu ejus a nullo superiore pendet, quia ex se nullum habet in temporalibus, ut supponitur, nec per matrimonium illum assumpsit, ut etiam ponitur; ergo potest libere uti illa potestate et leges ferre. Item alias contra rationem esset et con-

tra legalem justitiam, jus regni et dominium feminae conferre, quia contra rationem est ei potestatem dare, qui non potest ejus actum potissimum exercere. Tandem femina capax est jurisdictionis etiam regiae, ut supponitur in cap. *Ex parte*, 2 de Privileg., et sumitur in cap. *Dilecti*, de Arbitr., ubi id notat Innoc.; et Abb. n. 1 et 3 inde infert feminam habentem regnum posse, si velit, per se causam cognoscere, et ferre sententiam, et jurisdictionem in subditos exercere. Et idem tradit Anton. Corset. Tract. de Potestate regis, p. ult., q. 98, n. 58; ergo quando femina habet jurisdictionem supremam, poterit illa uti ad leges ferendas, quia est eadem ratio, nec est aliquid quod specialiter impediatur. Nam defectus scientiae et prudentiae per sapientum consilium suppleri potest, ut notant dicti auctores: et ita quoad hoc eadem est ratio de caeteris actibus jurisdictionis.

9. Neque contra hoc obstant citata verba Pauli: nam ille loquitur de doctrina fidei, et de modo publice illam tradendi et concionandi in Ecclesia: de hoc enim ibi tractat, et magis declarat 1 Corinth. 14, dicitque id feminae non permitti, non tam propter incapacitatem (haec enim posset saepius non deesse) quam propter honestatem et decentiam. Quae ratio non habet locum in actu ferendi leges; potest enim ex parte ferentis legem secreta et cum summa decentia fieri, etiamsi lex ipsa publice postea promulganda sit. Alia autem verba Pauli proprie intelliguntur de femina matrimonio conjuncta respectu mariti, de qua statim dicemus. Nec valet argumentum a simili, quod, sicut mulier non potest dominari marito, ita nec possit dominari suae reipublicae, quia in ordine ad usum matrimonii et regimen familiae mulier est naturaliter inferior ac subdita: in ordine autem ad regimen civile nihil est ex lege naturae statutum; sed respublica potuit transferre potestatem in feminam, vel in regem, cum ea conditione ut ei posset femina succedere. Nec denique obstant leges civiles seu jura humana, quia loquuntur de feminis communibus (ut ita dicam) seu non habentibus propriam jurisdictionem; secus vero esse de feminis praecellentibus, et praesertim reginis supremis, quae sunt supra ipsum civile jus: neque illas comprehendere potest in his quae illarum potestati repugnant.

10. Nonnulla major dubitatio est de regina habente maritum, qui ratione matrimonii rex appellatur, et ut rex honoratur et obeditur. In qua re communis sententia jurisperitorum

est reginam, etiam post contractum matrimonium, retinere et regnum et liberam regni administrationem, ac subinde potestatem et usum ferendi leges. Praecipuus auctor hujus sententiae fuit Bald. in cap. *Significavit*, de Rescript., quem sequitur Tiraquel. de Nobilitat., cap. 18, n. 3, referens Decium, Alciat. et alios. Idem Martin. Garatus tract. de Principib. q. 176; Greg. Lop. in l. 1, Gloss. 9, et in l. 9, Gloss. 4, t. 1, p. 2. Ratio Baldi fuit, quia regina per matrimonium non transfert regnum in maritum, illud a se abdicando: nec etiam illud ita confert marito ut aequae maneat in utroque, nec retinet proprietatem in se, et administrationem praebet marito: ergo in se sola utrumque retinet, scilicet potestatem et administrationem, et ita per se potest sicut antea jurisdictionem exercere, ac proinde leges ferre. Consequentia clara est. Antecedens probatur quoad singulas partes. Prima ergo pars probatur, quia regnum non potest alienari, neque in dotem dari, ut ait Bald., et ratio esse videtur, quia est veluti officium et onus personale a regno collatum, et ideo non potest in alium transferri sine consensu regni, vel nisi juxta conditionem inclusam in ipsa regni institutione, quae solet esse ut transferatur per electionem, vel successionem, non vero per alium modum alienationis. Adde talem alienationem seu translationem regni in maritum nec fieri voluntate reginae, ut constat, nec aliquo jure, quia nec tale ejus est naturale, ut per se notum est: nec de humano constat, nec posset ad hoc cogere reginam supremam dominam, quae potestatem habet supra tale jus. Maxime quia nec in dominiis inferioribus, nec in aliis bonis, per matrimonium amittit uxor dominium suorum bonorum et illud in maritum transfert, sed ad summum administrationem. Denique alias, etiamsi talis regina moreretur sine liberis, maritus retineret dominium regni, quod est aperte falsum.

11. Secundum membrum antecedentis probari solet, quia est contra rationem naturalem, ut idem regnum sit aequae in duobus, quia esset unum corpus habens duo capita, quod est monstruosum et rectae gubernationi regni valde perniciosum. Quia si inter se dissentirent, nihil fieret, nec pateret via aut modus definiendi quid agendum vel praecipendum esset. Unde facilius posset esse gubernatio per tres simul, ut posset major pars vincere, quam per duos tantum, nisi inter eos alter aliquo modo praecederet, et qualitate vinceret in casu discor-

diae, vel nisi in hoc haberent aliquam vicissitudinem, aut alio medio uti tenerentur, ut sortibus, vel compromissione, vel adjunctione alicujus tertii suffragii. Sed quidquid sit de possibili, certum est hoc non posse fieri in praesenti casu, etiamsi regina vellet, quia esset mutatio magna in regno, et in modo monarchiae ejus, quae sine consensu regni fieri non potest. Item illa multiplicatio duorum, etiam illo modo facta, esset magnum gravamen et praerudicium subditorum; ergo fieri non potest, etiam vi matrimonii. Denique, ad hoc et superius punctum confirmandum valet axioma commune jurisperitorum, quod suprema principis potestas nec abdicari potest, nec minui, de quo videri possunt, quae congerit Franc. Vargas, tractat. de Potestate pontificia in principio.

12. *Regnum est veluti officium quod incumbit propriae personae cui confertur.* — Tertium item membrum patet, quia eadem fere est ratio de administratione quae de dominio et proprietate. Nam duobus modis posset hoc intelligi. Unus est, ut illa administratio ita esset in rege, ut solus ac repugnante uxore posset leges condere et alios actus gubernationis exequi, et hoc plane esset quaedam alienatio regni ejusque translatio in alium, saltem ad vitam, seu durante vinculo matrimonii: haec autem fieri non potest sine consensu regni, et ad illam applicari possunt omnia dicta in primo membro. Accedit quod in hoc non est comparandum regnum cum aliis bonis, seu cum administratione dotis, quia regnum est veluti quoddam officium quod incumbit propriae personae cui confertur, et non tam est propter ipsam quam propter eos qui regendi sunt, et ideo non potest rex vel regina tale onus a se separare, nec in alium transferre, etiam quoad usum vel administrationem, ita ut non maneat apud ipsum suprema potestas et obligatio regendi: non ergo transferri potest illo modo administratio regni in regem ratione matrimonii. Alter modus est ut regina haberet quidem administrationem, sed dependentem a rege, ita ut sine ejus consensu, vel illo repugnante, non posset leges ferre, et aliter jurisdictionem suam exercere. Et hoc etiam dici non potest, quia incidimus in omnia incommoda quae in secundo membro tacta sunt: nam vel sequeretur continua perplexitas et divisio, vel oporteret uxorem cedere marito, quod esset sua jurisdictione privari: unde sicut non potest regina suam administrationem a se auferre, invito regno, ita nec potest illam

minuere, nec facere ut suprema in suo genere non sit; ergo non potest facere usum ejus dependentem a consensu mariti.

13. Sed contra hanc communem sententiam objici potest lex Hispaniae 9, tit. 1, part. 2, ubi in principio dicitur quatuor modis posse jure obtineri dominium regni et nomen regis. Et postea dicitur tertium modum esse per matrimonium, quando aliquis privatus ducit uxorem reginam et regni haeredem: ergo tunc vir obtinet jure dominium regni; ergo apud ipsum est potestas legislativa, non apud reginam. Et confirmatur, quia alias maritus esset uxori subditus, ac subinde teneretur parere ejus legibus, et consequenter etiam personalibus praecipis, ut, verbi gratia, teneretur bellum gerere praecipiente uxore, et similia quae videntur esse contra debitum naturae ordinem, et contra sententias Pauli supra citatas. Confirmatur secundo, quia maritus habet jus et potestatem gubernandi uxorem in omnibus actionibus suis, et corripere illam non solum in rebus ad se pertinentibus, sed absolute in omnibus quae adversantur bonis moribus, quae ratione multi censent posse maritum omnia vota uxoris irritare; ergo etiamsi uxor sit regina, habet maritus potestatem et superioritatem in omnes actiones ejus, etiam in eas quas exercere potest ut regina est; ergo necesse est ut regina pendeat a marito in usu et administratione suae jurisdictionis.

14. Propter haec fortasse et similia Montaltus, ut refert supra Gregor. Lop., dixit in eo casu jurisdictionem reginae seu administrationem ejus transferri in maritum regem. Et Palac. Rubi. quem etiam refert, dixit secundum leges Hispaniae administrationem regni esse in utroque. Sed, ut idem Gregor. notat, nulla est lex in Hispania quae hoc disponat, nec esset conformis rationi, ut probatum est. Ad legem ergo citatam respondetur in eadem contineri limitationem et declarationem, quia in illo tertio modo obtinendi regnum solum dicit, ratione conjugii cum regina posse maritum vocari regem, quod est consentaneum rationi naturali, quia vir et uxor ita fiunt unum ratione matrimonii, ut honores et dignitates sibi communicent. Et quamvis communiter soleat vir, quia caput est, trahere uxorem ad participationem conditionis suae, sive nobilitatis, sive ignobilitatis, ut statuunt plures leges civiles quas late refert Tiraq. d. c. 18, n. 1 et 15, nihilominus, quando tanta est excellentia uxoris, quanta est in regina, illa trahit ad se virum, ut illi communicet nomen et hono-